



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 2. Auxilia etiam in alijs, spem in solo Deo ponendam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

ferm. Do-
mini in
monte.

dicemus, eum de crastino sollicitum esse: nam & ipse Dominus, propter exemplum, loculos habere dignatus est: & in Actibus Apostolorum scriptum est: Ea qua ad vitam sunt necessaria, procurata esse in futurum, propter imminentem famem. Ob secundum multa nobis paternæ suæ curæ exempla Dominus reliquit, quæ meritò possint spem fiduciâmq; nostrâ accendere.

§. II.

Auxilia etiam in alijs, spem in solo Deo ponendam.

Petr. Ri-
bad. in
vita S.
Ignat. l.
§. c. 9.

Et quanquam, ut in proverbio est, manus cum Deo mouendæ sunt, Sanctus tamen Ignatius noster egregiè docuit, semper pluris faciendam Dei opem, quàm omnia mortalium auxilia. Adijt aliquando Ignatius ad salutandum Principem virū nostri studiosum, à quo minùs officiosè, quàm par erat, exceptus est. Causam Ignatius arbitratus est, quòd minùs eius opera, ad res Societatis, atq; patrocini-
nio vteretur. Erat enim, aut videri volebat Societatis nostræ percupidus, molesteq; forsitan ferebat, quòd alios, ad nostram defensionem, se prætermisso, potiùs adhiberemus. Tunc Ignatius mihi, Dicam, (inquit) illi, & aperte dicam, me ante 30. annos à Deo didicisse, ut in ijs
effici-

exemplis veteris Testamenti docetur. 3

efficiendis, quae Dei sunt, omnia auxilia conquiram: sed ita, ut non in externis adiumentis spem meam, sed in ipso Deo bonorum omnium effectore constitutam putem. Quod si, inter haec subsidia efficiendiq; instrumenta, se unum esse vult, libenter eo utemur: sed ita demum, si intelligat, nos ab vno Deo pendere, Deo non hominibus niti. Id ut faciamus omnes, multa nos exempla docent: è quibus pauca se-
ligam.

§. III.

*Dei, erga Mundum magnum & paruum,
cura monstratur.*

Atque in primis illud, quod D. Damasce-
nus, ad Conseruatoris agnitionem, egregie
explicat. Nam cum naus, remoto Guberna-
tore, consistere nequeat, verum statim pessum
eat; nec vlla, quantumlibet exigua, domus sta-
re possit, nisi sit aliquis, qui ipsius curam gerat;
quo nam tandem pacto mundus, opus vsq; adeo
ingens, atq; ita praclarum & admirandum, si-
ne eximia aliqua, & ingenti atq; admiranda
gubernatione, sapientissimaq; providentia, tam
diuturno temporis spatio, constitisset? Ecce e-
nim quantum iam temporis fluxit, ex quo cae-
lum est, nec tamen obscuritatem contraxit;
nec terra vis tam diu pariens elanguit; nec fon-

S. Ioan.
Dama-
scen. l. de
Vita Bar-
laam &
Iosaphat.
Iacobo
Billio
Prunæo
interpræ-
te.